





QK.367. 3<sup>a</sup>

B.M.

II n  
276

C. B. D.  
DISSERTATIONEM POLITICAM  
IN Q. CURTII RUFFI  
**CHARIDEMUM**

Darii, Persarum Regis, Con-  
siliarium,

*disputationi publicæ*  
SUB PRÆSIDIO

**M. JACOBI Wächters/Grimm.**

*exponit Respondens*

**JOHANNES CHRISTOPHORUS LAU-  
RENTIUS, Dohnâ Misnicus,**

*in Auditoriô Minori  
ad d. 16. Aug. horis pomerid.*



WITTENBERGÆ,

*Typis Johannis Haken, MDC LXII.*



*M. W. W. W.*

326



C. B. D.  
DIPLOMATICA POSITIVAM  
IN Q. CURIA RUBEI  
CHARIDEMUM

Domi. Petrum Regis. Com.  
Mistum.

disputationi publicae  
SUB P. R. A. S. I. D. V. O.  
M. JACOBI BRÄUDELERS Gimm.

exponit Responsoria  
IOHANNES CHRISTOPHORUS LALL-  
RENTILIS, Doms. Ministrus

in Auditorio Honor.  
add. in Ang. Com. poverb.  
\*\*\*\*\*  
WITTEMBERG.

1772 Johannis Ecken. ANNO MDCCCLXXII

*Handwritten scribbles*





I. N. J.  
PRÆLOQVIUM.

**P**oliticarum artium studio qui navantes operam, id agunt unice, ut  
præceptorum systemata plurima evolvant, ac ediscendis distinctio-  
nibus ludicris ingeniorum suorum aciem obtundant miserè atque  
enervent; hi saxum Sisyphium volvere, aut ventos (quod in pro-  
verbio dicitur) captare retibus, mihi non abs re videntur. Quid n. tot vel  
tot regulas legisse denique proderit, nisi ad circumstantias rerum singulas  
quâ ratione flecti præcepta in dandis aut peragendis consilijs debeant, ap-  
primè constet. Hæc demùm vera mihi prudentia est, non illa simplex præce-  
ptorum notitia; quippe quam ineptissima actio haud rarò sequitur. Ab-  
stractè, generaliter, ac in signato actu Scriptor Politicus præcipit: Specia-  
les proponere casus ab ejus officio est alienum. Nec id ignorant, qui peregri-  
nandò, qui aulis Principum indefinenter adherendò, non sine summâ  
solicitudine, veram sibi prudentiam vel tantùm augere student  
acquirere. Plerumq; tamen incassum. Optimè in studiis cons-  
qui præstantiores annalium libros, quibus Principum R  
subtiliori descripta stylò sūt, ita perlegerint, ut perspexerint  
ibi gestum prudenter, & ad id exemplum quâ rati-  
sterum sit instituenda, didicerint. Hoc illud est pr-  
rum salubre ac frugiferum, omnis te exempli d-  
monumento intueri; unde tibi tuæq; Reip. &  
fædum inceptu, fædum exitu, quod vites I-  
historias legi, & auditoribus exposi-  
cilitate adolescentes haurirent;  
§.6. Sunt autem, Lipsius inq; -  
& assidue ijs in manu sine  
bus est legitimusq; histo-  
litas, in narrationibus  
sine curâ ullâ accu-

ce nibus supra, quàm dixerim, facundus. in not. ad lib. i. pol. Itaq; ex Q. CURTII lib. III. cap. 2. unicam de CHARIDEMO sumemus hac vice historiam, & quæ occurrent ibi politicæ res, quasdam pro temporis ac nostri ingenij modulò, diligentius paulò lustrabimus. Faxit DEUS clementissimus, ut vergant omnia in sui nominis gloriam, nostriq; proximi emolumentum.

### ELENCHUS EXPECTANDORUM.

- I. Militum atq; armorum cura Principi non omittenda.
- II. Fiducialibus humanis utendum, non confidendum, non nimis gaudendum.
- III. Officialibus & Consiliariis non semper credendum.
- IV. Charidemus quis fuerit, & numquid Darij Consiliarius?
- V. Numquid inter Consiliarios peregrini sint admittendi?
- VI. Quomodo belli peritia possit acquiri?
- VII. Belli duces strenuos non dimittendos esse, nec relegandos.
- VIII. Quomodo Princeps ad obterendum hostem sit sufficienter instructus?

gliarii officium. X. Charidemi παρρησία ἀναρρῶ.   
 licet consiliarium.

et militum quantitate, sed qualitate censendus.   
 mati sint milites.

in Macedones.

tionem advesfaciendi.

XVII. Cur facile Principes irascuntur?

et undam ferre fortunam.

Principi necessaria.

nsilii pœna.

desuit.] Ad bellum sit, belli unus Princeps



ceps ad dissipandas tot hostium vires par esse potest. *Viris geruntur bella: sequuntur armatos omnia*, Darius ait *Curt. 5, 1-8*. De multitudine *militum loquor, reduplicativè*: quales utiqve Dario non erant, sed ferè foeminae imbelles, *Curt. 3, 10, 10*. quod urget *Liv. 9, 19*. sicut & Alexandri M. avunculus, *Curt. 8, 1, 37*. Romano populo bellum facturus, transiturum dicebat se ad Romanos, quasi in ἀνδρωπιτην, Macedonem ad Persas quasi in γυναικωπιτην, *Gell. l. 17. c. 21 p. 698*. Quare non belli magis, quam militum ratio habenda Principi est; secus non haereticus modò, sed Reip. etiam proditor judicatur: nec perseverare Resp. potest, nisi quæ militarem artem excolit *Conz 10, 3, 4*. Inermis n. ac defensionis nescius Princeps civitatem suam ambitiosioribus exponit in prædam, nimiaqve securitate facilem tutamqve invidentibus viam præparat ac munit. Ideò ut alerentur perpetuò quatuor legiones, svadebat *Atbeniensium Orator Demosthenes*: Et valet hîc commune proverbium: *Timidi mater non flet*. Qui enim timet omnia, tutus plerumqve in tempore, quæ ad salutem faciunt, disponit, & diligenter momenta cujusqve rei considerans, ad illa suis se consiliis accommodat. *Casp. Fac. ax. mil. 38*. Adsvfaciendi in tempore ad armorum tractationem subditi sunt, regimine tamen prudenti, tempore diverso, ac diversis in locis, ne sine disciplinâ, si ex armorum curâ ferociore, atqve ad rebellionem proniores subditi videantur fore. *Conz. pol. p. 885. Schönb. pol. p. 569*. Nec erit abs re re, si ordinarij milites habeantur in promptu, quibus regna sua Princeps tuta conservet. *Jac. à Brück. disc. pol. n. 136. p. 84*. Præparatis quæ ex usu sunt, agendum est, non inter agendum præparanda ea, quibus opus est. *Besold. de cons. pol. c. 15. n. 23 p. 254*. Salva dum navis, promptè consulere & providere oportet, ne evertatur, *Demosth. Phil. 3*. Hâc ratione efficiet Princeps, ut sibi nequidquam minus, quam multitudo militum desit. *Felw. pol. p. 662. Clapmar. arc. Rev. p. 59*.

Cujus tum universe aspectu admodum letus ] Humano ferè innatum ingenio est, humanis etiam auxilijs, ultra quam decet, lætari sæpius atqve confidere. Id certum est, in subeundis periculis, uti quidem fortem virum fiducialibus posse: quomodo θαρραλέα ταλια vel supra hominem sunt, v. gr. divina: vel secundum hominem, ut arma, milites. *Dn. D. Wendeler. Phil. Pr. p. 225*. quos si adhibuerit Princeps, cõtra fortitudinem nequaquam peccarit, imprimis, quod ferè

II.  
Fiducialibus humanis utendõ non confidendum, nõ nimis gaudendum.



ferè fortis vir adire pericula debeat, cum consilio & ratione, h.e. eò modò, locò ac tempore, qvo & quando oportet, *Golius Eth. l. 3. c. 7. p. 133.* At v. solum fiducialibus qvi confidit, qvomodo *Darius b. l. militum suorum multitudini*: herois certè ac strenui ducis encomium non invenit, qvippè qvi tantum *Ἀπὸ τὴν ἐλπίδα* periculum subit: qvæ si titubare paululùm ceperit spes, confestim ille deponit cristas ac spiritus remittit. *Conf. Golius l. c. & Buchholz. Eth. p. 208.* qvalem heroëm in acie se *Darius præstitit, Curt. 3, 11, 11.* Ita qve cum neque numero hominum, neqve importunâ audaciâ, neq; solâ conflictatione bella conficiantur; sed secundum voluntatem DEI, arte bellicâ & Imperatorijs factis, atq; consilijs benè administratis bella succedere prosperè soleant, *Leo Imperat. de app. bell. n. 3.* victoria qve à DEO pendeat & conferatur. *Reincking. 2, 3, 35. p. 485. & 2, 3, 4, 24. p. 492.* in ancipiti Martis aleâ Christianum Principem humanis confidere rebus non decet; sed supremi Numinis arbitrium venerari reverenter, & ab eò speratum auxilium expectare *Leo Imp. c. 14 n. 1.* Is n. incutere formidinem, ac fortitudinem inspirare potest. *Curt. 4, 13, 12.* Sic quoqve Dux debet esse confidens ac lætus *Lips. Pol.* ne tamen timeat nihil; sed accuratè agat ac providè, *id. nec ὀπινύκειον* canat *ὡς τῆς νίκης*, cum præcoce gaudio fortuna soleat irritari; juxta verissimum *Sisygambis* responsum, *Curt. 4, 15, 10. & 11.* Imprudentium fiducia est, fortunam spondere sibi; ac dementis planè, urfi nondùm capti velle vendere pellem, nec qvibus vincere rationibus possit, sed qvemadmodum uti victoriâ velit, cogitare. *Facius ax. pol. 99.* Iplus testari *Darius* potest, qvàm infelices post se exitus hoc intempestivum gaudium traxerit. *Vid. cap. 11 & 12.*

III.  
 Officialibus  
 & Consilia-  
 ris non sē-  
 per creden-  
 dum.

*Purpuratis solitâ vanitate spem ejus instantibus*] De Purpuratis, Satrapis, ac Prætoribus Persarum vid. *Briffon. de Rep. Pers. p. 113. Arrian. p. 222.* Quod verò *Facius* ait: *Consilia sua sequatur Dux prudens, non vulgi*; idqve exemplò *Alexandri M. Curt. 6, 5, 8.* ac damnò *Stratonis, ib. 4, 1, 17.* hoc limitari arctius potest, ut nec officialium suorum fidei aut consilio nimium attribuat Princeps, nec ipse, videntibus, audientibus, agentibusqve illis, cœcutiat solus, surdus, ac idolum mortuum: vel, ut *Horat. ait*, nervis alienis mobile lignum, 2 *serm. sat. 7.* Quamquam enim præcipiat *Leo*, ut ante omnes suscipiendas res, maximè a bellicas, consilium cum præfectis dux capiat; *de app. bell. c. 4. n. 2.*

omnia-





omniaque prius experienda consilio sint, quam armis decertandum, Reinck. 2,3,3,5.p. 474. propterea, quod tam lynceus nemo sit, ut videre omnia queat; aut etiam si insigni solertia ac perspicacia sit, aliorum admonitionibus non adjuvetur; Hippol. a Coll. de cons. c. 17. p. 103. fieri tamen potest, ut vel diversas exponant sententias forte ob circumstantias diversas, vel ad gratiam Principum omnem ingenij & consiliorum vim flectant, Besold. de cons. pol. p. 42. vel propter proprium commodum promittant ingentia, sibi que proficua svadeant. Omne ferme tum temporis Asiam ineffabilis luxus corruperat (ut fieri solet, ubi divitiarum avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendi que omnia invehunt, Livius in proem. l. 1.) Jamque aptiores Veneri Persarum duces, quam Marti videbantur: Confer Freinsb. com. in Curt. 3,3,13. quomodo ex timitate summam dividi copias nolebant, Curt. 3,8,3. & exui purpuram, horrendis armis onerari, truculentosque Macedonum vultus perferre fortiter plerique verebantur; haud dubie illos fore victores rati, qui numero, qui habitu ac armorum genere ob splendorem reverentiam ac venerabili prevalerent. Hanc illa solita Persarum vanitas, reverentiam vanitas, prout Charidemus noster in subsequentibus demonstrat. Hic aperire oculos Darius, penitusque purpuratorum suorum scrutari animos consiliaque debebat; sed omnem abstulerat prudentiam Deus, ut salubris consilii nullius patiens Darius esset. Curt. 5, 12, 8. ac vanitatibus purpuratorum vatumque responsis ac speciebus, quae per somnum offerebantur, admodum indulgeret 3,3,7. ventisque adeo committeret, quae vel Charidemus h. l. vel Patron, Graecorum Dux. 5, 11. vel Purpuratorum Princeps, Artabazus 3,13,13. vel Graecorum ceteri fideliter monere 3, 8, 1. permanebat sanctus & mitis. 3, 8, 5. sicut erat natura simplex ac mitis, 5, 10, 14. sero se perituum ratus, si salvum esse sui milites nollent, 5, 10, 11. ut jam ante, quae per duces suos acta fuerant, cuncta damnasset, 3, 2, 1. donec eorum venisset, ut tam periculosum esset, non credere suis, quam decipi, 5, 12, 3. antea enim difficilius ipsi videbatur damnare, quam decipi: 5, 11, 14. Sic Purpuratorum vanitate Darii spes potest inflari! Sipienti sat dictum.

Conversus ad Charidemum.] Hic ille est, cujus nomen in frontispicio gerit haec dissertatio. Potissimum quippe subjectum est, quo de non-

IV.  
Charidemus  
quod fuerit,  
& nunquam  
Darii Con-  
siliarium &



de nonnulla in capite citatō commemorat *Curtius*. Nam siue patriam quæras, Atheniensis dicitur: *nr. 10.* seu vitæ statum; cum Dario in armis est: seu qualitatē; nam eloquentia (*vid. Raderi Judic. de hac ipsius oratione in comm. in b.l.*) belliq; peritiâ excellit *nr. 10.* seu virtutem; nam veritatis amans, *nr. 11.* ac libertatis assertor fuit *nr. 10.* seu dignitatem; Dario est â consiliis; seu calamitatem, nam fuit exul: *n. 19.* Plures circumstantiæ sine omni dispendio possunt ignorari. Nomen quod concernit, in quibusdam exemplaribus *Eudemum* legi, *Freinshemius* notat, sed natō ex aliorum scripturâ vitio, qui *Caudemum* legerant, cum *Charidemum* reperissent. *Comm. in Curt. 3, 2, 10.* Dario a. quod â consiliis fuerit, non absurda plerorumq; opinio est: utiq; quum *Diodorus Siculus* scribat, ob virtutem & imperatoriæ artis præstantiam *Charidemum*, in magnâ apud Regem admiratione fuisse. *hist. l. 17. c. 30. p. 835.* Tùm temporis quoque *Darius* prudētib. viris habebat opus, quomodo *Patrona* inter duces, ac *Artabazum* inter purpuratos admiserat *Curt. 5, 9, 14, & 16. 3, 13, 13.* Tùm quoq; non indignus consiliarii munere *Charidemus* erat, ut qui meruerat ante sub *Philippo*, in administrandis ejus negotiis Princeps & Consultor Optimus, *Diod. Sic. l. c.* *Charidemus* ipse cum dicit: *Ego, nisi nunc dixerō, alias nequidquam confitebor nr. 11.* fore fatetur, ut aliquando sententiam similem â Rege rogaretur. De facto equidem quin salutari consiliarius possit, ideò res certa est, quod spaserit Regi liberè, quanquam consilium datum Rex ineptè spreverit. *nr. 18. & 19.*

V.  
Numquid  
ster Consi-  
arios pe-  
grini sine  
Amittēds?

*Atheniensem.*] Rectenè *Darius* fecerit, quod *Charidemum*, & *Patrona*, & *Artabazum* sibi adjunxerit, quæri potest: ac respondendum quidem ab initio videtur, ad publica grandiaq; officia peregrinos non admittendos. *Officiales, ait Excell. Dn. D. Wendeler. Phil. Pr. f. 692.* sint inquilini (1) quia inquilinus fert onus Reip. (2) quia inquilinus amore longè firmiori Remp. prosequitur. (3) quia cives agrè ferunt peregrinorum imperium. Ac certè misera illa terra judicatur ab omnibus, quæ nullum suorum, vel paucos in consilio Principis conspiciunt. *Lips. 3. pol. c. 4. Richter. ax. pol. 250.* Quos n. aliunde assumit Princeps, si non tam Principem, quam bona ipsius amare solent; non subditorum salutem consulunt, sed subditos exsugunt. *Arnif. doct. pol. c. 15.* præcipuè patriâ quasi fulsi serviunt tempori, ac solâ

solâ spe utilitatis moventur. *Besold. l. c. p. 112.* sed tamen distinguen-  
dum prius est (1) inter Consiliarios *interiores & exteriores*, tempora-  
rios vel perpetuos, eosq; *plures vel pauciores*. (2) inter negotia *arca-*  
*na*, ac *tantum necessaria* (3) inter consultationes *ordinarias & ex-*  
*traordinarias*. (4) inter domesticos *fideles & ancipites*; *prudentiores*  
*& imperitiores* (5) inter peregrinos *faventes vel invidentes*; abso-  
lutè *subjectos*, vel *Reip. alterius participes*. Peregrinos si optet Prin-  
ceps, indigenæ ubi non desunt; ex eo illum peregrini aliquid me-  
ditari, augurantur nonnulli *Besold. de cons. pol. p. 110.* Darius a. in tã-  
to tumultu rerum, quod esset anceps Persarum fides, virtusq; exi-  
gua; Græcorum v. constantia ac fortitudo, prudentiaq; eximior;  
haud imprudenter egit, dum pauciores illos, animitus aliàs Ale-  
xandro infestos, ad graviora negotia, nec tamen exclusis domesti-  
cis, adhibuit nonnunquam.

*Belli peritum.* ] Quâ ratione addisci feliciter possit' militaris  
ars, inter autores quæritur: suntq; qui unicam docendi belli ma-  
gistram, *Experientiam* statuunt. *Fortuna belli artem docet*, ait Rex  
apud *Curt. 7. 7. 17.* instar speculi, ex quo militaris resplendeat ars, no-  
bili *Ducem* proponit *Canonher. disc. in Tac. p. 259. seqq.* Si nobilis, in-  
quit, militiam addiscere optat, necesse est, ut in familiam exercitus  
Ducis recipiatur, eiq; serviat ac satisfaciat &c. Sicut a. ad ha-  
bitum omnem; sic quoq; ad belligerandi artem tria requiri existi-  
marem; *φύσις, μάθησις, ἀσκησις.* De naturali aptitudine, quin ne-  
cessaria sit, dubium non est. Qui v. ea, quæ aliorum praxi probata  
dudum, literarum monumentis consignata sunt, probè didicerit in  
scholis, & prudentior, & promptior, & fortunatior in belli certami-  
ne est. *Fac. ax. bell. 31.* Omnis actio notitiam præsupponit; utiq; mili-  
taris, quæ sine Mathesi difficillimè discitur ac usurpatur. *Dn. Nottm.*  
*in præf. man. Fortific.* Tum quoq; natura nemini tam longum viven-  
di tempus concessit, ut quæ ad prudentiam bellicam comparandam  
pertineant, usu solo addiscere posset: unum enim omnibus bel-  
lis interesse, atq; omnia strategemata in unô bellô adhibere aut  
observare posse, non est verisimile &c. *Fac. à Brück ars & mars, nr. 66.*  
*p. 40.* Sic à præceptore Pythagoricô *Philippus*, ab Aristotele XII. an-  
nis *Alexander M.* eruditi, ingentia bellando facinora præstitere.  
*Curt. lib. 1. & 2. De Caroli M. Ludovici II. Ottonis I. Caroli V. Alberti I. a-*

VI.

Quomodo  
belli peritia  
possit acquiri

liorumque quam plurimorum eruditione ac fortitudine militari  
*vid. à Brück. per totum allegatum libellum.* Cognitis verò belligerandi  
 præceptis addenda exercitatio: quippe *qui nunquam tubarum sonum,*  
*nisi in choreis audivit, hunc tu esse militem credes?* *Fac. ax. bell. 66.*

## VII.

*Belli duces  
 strenuos non  
 dimittendos  
 esse, nec re-  
 gandos.*

*Et ob exilium infestum Alexandro; quippe Athenis jubente eò fu-  
 rat expulsus]* Quoad historiam confer *Suppl. Freinsb. 1, 14, 21 Suppl. vulg.  
 lib. 2. Diod. Sic. lib. 17. c. 30,* Cavendum de cetero Principi est, ne strenu-  
 os belli duces vel dimittat, vel in exilium proferat: sed vel ad fidem  
 firmissimam obstrictos usurpet, vel in custodia domi retineat. Ami-  
 cos nam si dimiserit, similes vix ac ne vix quidem reperiet: cum ta-  
 men dux bonus plus valeat mediocri exercitu: ac sine duce bono  
 exercitus sit corpus exanime, & excœcatus Polyphemus. *Conz. 10, 22,  
 1.* Sin relegaverit infestos, hostes sibi periculosissimos fecerit. Præter-  
 quam n. quòd *patria est, ubicunq; vir fortis sedem elegerit,* *Curt. 6, 4, 13.*  
 vel inter Principis hostes inveniet locum, exoptatamq; vindictæ, vel  
 cum salutis periculo instituendæ, occasionem. Haud dubiè rectius  
 fecisset Alexander, si certò pacto Atheniensium duces perferri ad se  
 jussisset: quomodo deinceps Nabarzanem. *Curt. 6, 4, 14.*

## VIII.

*Quomodo  
 Princeps  
 ad obterē-  
 dum hostem  
 sit sufficiē-  
 ter instru-  
 etus.*

*Per contari cepit, satis nē ei videretur instructus ad obterendum ho-  
 stem]* Si positâ causâ, sed adæquatâ, ac sufficienter instructa, nec a-  
 liundè impeditâ, sequitur effectus, haud abs re disquirat Rex, quæ suf-  
 ficiens, quæ adæquata ratio sit fundendi hostem ac obterendi? E-  
 amq; in particulari velle determinare, tantò difficilius est, quantò  
 plures in tam ancipiti re non contemnendæ circumstantiæ concur-  
 runt. *Conf. Fac. ax. bell. 45.* In genere a. præcisò adhuc respectu ad ta-  
 lem vel talem, tantum vel tantum hostem, si secundum ordinarias  
 naturæ vires philosophandum sit, absolutè ac simpliciter necessarius  
 est (1.) *sufficiens exercitus*, quoad personas ducum militumq; (2.) *suf-  
 ficiens armorum apparatus*, & (3.) *sufficiens commeatus*; quò & pecunia,  
 bellorum nervus *Lips. pol. 5, 6. Schönb. pol. 6, 6. Fac. ap. bell. 48.* & victus,  
 quò sine nec bellum prosperè geri, *Grüter. disc. in Tac. c. 52.* neque ex-  
 ercitus conservari potest *Fac. ax. bell. 49.* continentur. Hæc an Dario  
 omnia fuerint, videbitur deinceps. In præsens adhuc triplex in Da-  
 rio vitium invenio: (1) *Insolentiam* Pautitatem in hoste contemnit  
*Curt. 3, 3, 28.* atque de multitudine militum sibi gratulatur; quomodo  
 alibi magnificentius, quam verius; quòd mearum, *inquit*, fuit parti-  
 um,

um, exercitum, quem penè immensa planities vix caperet, compa-  
rari. (2) *Confidentiam*, quâ propter militum ingentem numerum suf-  
ficienter se instructum ad obterendum hostem ineptè existimat,  
haud secus, ac Antiochus & Xerxes, de quibus *vid. Freinsb. Comment.*  
*in h.l.* (3) *militaris artis ignorantia*; prout id ex superiori aph. 2. & ex sub-  
sequentibus patet. Quæ bonum Principem vitia dedecent.

At ille & *sua sortis*. & *regia superbia oblitus*] Consiliarij requisita variè  
varij recensent. Petrus Magnus *prudentiã* (h. e. *virtutes intellectuales*)  
& *virtutem* [id est *virtutes morales*,] & *benivolentiam* requirit de *Conf.*  
*cap. 11. seqq.* Quindecim animi, & quinque corporis præditum orna-  
mentis Consiliarium esse debere, ait *Freder. Ceriol. de conf. c. 2.* Schön-  
*bornerus* requirit ætatem, doctrinam, & mores. Præcipuè consiliarij  
officium ac mores *Besoldus de conf. c. 9.* *Conzen 7, 13, 7. p. 549.* *Hippol. &*  
*Coll.* alijque describunt. Ex quibus cujus loci occasione observo, mo-  
destè ac tempestivè agendum esse consiliario in dandò consilio; u-  
tiqve si id acceptum minus, aut minus probabile vel effectibile Prin-  
cipi fore videatur. Tum agat prudenter, absqve affectu ac sacrasmo,  
*Besold. l. c. p. 518.* orandò potius, quàm imperandò; non culpandò, sed  
blandè informandò. Arte & flexu quodam sæpè opus est, & obli-  
quâ via eundum; quò non licet *iccl. c. 1. Lips. pol. 3, 5.* ad Corneliani Pifo-  
nis exemplum, *Tac. ann. 6, 10.* Præterquam n. quòd aliàs veri consilij  
periculosa libertas, *Curt. 6, 10, 26.* durus etiam sermo suscitatur furorè,  
*Prov. 15, 1.* Oportet igitur consiliarium & *se*, cujus sit sortis, v. gr. *in-*  
*quilinus, an peregrinus; novitius, an veteranus, meritis optimè ac sæpè*  
*probatum, an parum; togatus vel sogatus & c.* & *Principem*, numquid  
sit *humilis, an superbus; pusillanimis, an magnanimus; veripatiens, an*  
*impatiens; & ad quid maximè proclivis?* tumque affectus ac oratio-  
nem sic debet attemperare, ut omnibus consilium respondeat. *Cha-*  
*ridemus* tum peregrinus & exul *Curt. 3, 2, 10.* ob hoc Darij clien- & ser-  
vus *Freinsb. in h.l.* qui contentus esse debebat benevolentia hospitali,  
nec sese in penetralia Reip. ingerere, *Besold. l. c. p. 113.* quod superbissi-  
mo, & à fortunâ corruptissimo Dario *Curt. 3, 2, 17.* & pusillanimi &  
purpuratorum vanitate jamdiu penitus inflato *Curt. 3, 2, 10.* & magna  
*Besold. l. c. p. 219.* & difficilia, oratione tamen satis morosa, non svadet,  
sed imperat; non abs re propter *ἀναγωγὴ παρρησίας* culpatur à *Diod.*  
*Sic. l. 17. c. 30.* cui adstipulatur *Freinsb. l. c.* nosque cum *Curtio.* atro no-

XI.  
Boni consi-  
liarij officio

X.  
Charidem  
παρρησι-  
ὰ ἀνα-  
γωγῆς

B 2

tamus



tamus carbone, quod tantus vir & suæ sortis, & superbiæ regiae fuerit oblitus.

XI.  
Modeasti  
decer consi-  
liariam.

Verum, inquit, & tu forsitan audire nolis; & ego, nisi nunc dixerō, aliàs nequidquam confitebor] Satis importunè, satis, molestè. Requirit libertatem & παρρησίαν in consiliario Lipsius pol 35. juxta illud Solonis: συμβέλλει μὴ τὰ ἥδιστα, ἀλλὰ τὰ κάλλιστα Laert. in Sol. miserqve est imperator, apud quem vera reticentur Besold. l. c. p. 143. quocirca etiam Charidemus volebat nunc dicere, ne aliàs nequidquam (id est frustra) confiteretur. nr. ii. Distingvendum tamen inter consilium ipsum, quod κάλλιστον; & inter proferendi modum, qui ἥδι-  
στε esse debet. Hæphestion libertatis jus usurpabat ita, ut magis permissum à Rege, quàm vindicatum ab eò videretur Curt. 3, 13, 16. Callisthenem suum discipulum cum ad Alex. M. dimitteret Aristoteles, admonebat, ut cum Rege aut rarissimè aut quàm jucundissimè loqueretur. Val. Max. 7, 2. Cyriqve & Artaxerxis mater Parysatis eum, qui liberè colloqui cum Rege vellet, byssinis verbis jubebat uti Plut. in apophth. c. 10. Nec n. Princeps aspera & austera ferre potest. Charidemus noster τὰ μὲν κάλλιστα, & maximè utilia, nr. 17. ἀλλὰ καὶ τὰ πικρῶτατα svaдебat, sanè fidelis, sed nimis molestè, Cur. 3, 6, 11. ac suæ sortis oblitus, ib. de cetero, quod verum audire noluerit Rex, infra dicetur.

XII.  
Exercitus  
non ex mili-  
tum quan-  
titate, sed  
qualitate  
censendus.

Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius Orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis] Ad obterendum hostem instructum esse Principem sufficienter, si sufficiens ei exercitus fuerit, paullò superius dictum est. Charidemus a. Persarum multitudinem non nisi Persis, h. e. imbellibus fæminis terribilem, & contra Macedonum robora inutilem fore pronunciat. Rectè. Nequaquam censenda militum sufficientia est ex quantitate, sed qualitate; non ex multitudine, sed promptitudine; non ex pluralitate, sed virtute; cum quantitatis, sive numeri, sive magnitudinis, per se sit nulla efficacia. Promptior exercitata paucitas ad acquirendam victoriam est, quàm rudis multitudo Fac. ax. 58. Athenienses, militum numero longè præstantes, paucioribus Macedonibus, continuo ac diurnò bellandi usu exercitatisimis, vincebat Philippus Curt. Suppl. 1, 3. & Alexander, vana esse, dicebat, in bellò gentium nomina; neq; ad belli discrimen pertinere, qui SCYTHÆ, qui vè CADUSII ap-  
pella-



26a.

pellarentur *Curt. 4, 14, 3.* *Χειρῶν δὲ τῶ πολέμῳ, καὶ ἔκ ὀνομάτων πολλῶν* *Synes. Epig. 78.* Tolle mihi vana & in oculis magna; quoniam in omni conflictu non tam prodest multitudo, quam virtus *Veget. de mil. 1, 18.* Xerxes multos se habere homines, querebatur, viros paucos; quod Thermopylae ostenderunt: idemque accidisse Dario, Arbela vicus testis est.

*Nitet purpura auroque, fulget armis (rectius gemmis; cum non representatur militaris apparatus, quod etiam Persae carebant; sed divitiarum* XIII.  
Non ornati, sed armati sunt milites  
*luxus. Conf. Freinsb. in h. l.) & opulentia (sic collectivè dicitur, quod haecenus distributivè περ μερισμὸν proferebatur) quantum qui oculis non subjecere, animis consipere non possunt.]* Monuimus ante, ad obtinendum hostem requiri armorum apparatus, qui certè Dario defuit. Inadaequata Marti arma sunt aurum, purpura & gemmae, quandoquidem ferrò bellum, non auro geritur *Fac. ax. 49.* armaque inaurata praedam magis hostibus, quam animum possidentibus addunt *id. ax. 50.* secus ac putabat Julius Caesar, qui commilitones argento & auro politis armis ornabat, simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in praelio essent metu damni *Svet. c. 67.* Horridus miles sit *Liv. 9, 40.* Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse, qui terreat, qualis est ferri; quò mens simul visusque perstringatur: non qualis, auri argenti que imbellis, & potius habenti periculosus *Quintil. inst. c. 1.* Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur: sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. *Sen. ep. 76.* Caeterum de armaturâ tum pedestrium, tum equestrium videantur, quae praecipit Leo Imp. & *Conzen. l. 10. c. 15.*

*Sed Macedonum acies torva sane & inculta, & c: Tempora somni arctiora quam noctis sunt.]* Quot ferè voces *Charidemus* edisserit, tot axiomata, si chartae paterentur, suppeditaret. Uti que boni exercitus specimen Macedones sunt; quos penes & robur seu fortitudo, & parata ad nutum obedientia, & in servando ordine promptitudo, & insignis pugnae ac armorum peritia, & severior disciplina per abstinentiam, ac vigilantiam. Talem, quæso, exercitum nunc ubi gentium reperies? Inversa equeidem omnia sunt. *Hodiernam militiam, Lipsius inquit, 5, 8, 7. pol. oculo tristi intueor, pudendam lugendamque nobis, hosti ridendam aut spernendam. Itaque cogor apertis tibiis canere & illa* XIV.  
Exercitus boni specimen Macedones.  
mili-

XV.  
Subditi ad  
armorum  
tractationē  
adſuefaciē-  
di.

militiæ flagitia palam aspernari. Corrigerentur ea si disciplina ratio haberetur à ducibus: si debita militum stipendia, ne de provincialium lacrymis cogerentur vivere, *Reink. 2,3,5, 12.* exsolverentur; si ad curam belligerandi subditi ac milites adſuefierent. Quomodo Persarum pueri antiquitus ab ineunte ætate equitare, jaculari, ac sagittari discebant: *Briffon. l. c. p. 285.* etiam in venationibus exercebantur à Cyro; ὅτι ἔχοντο εὐραῖν, ἢ ἐν τῇ γῆρα ἀπεσι τῶν ἐν ποδέμω παρόντων, *Xenoph. Cyrop. l. 1. p. 15.* Olim lignei equi hyeme sub recto, ætate in campis positi, in quos juniores primò inermes, deinde armati discebant ascendere, & cum à dextris, tum à sinistris partibus insilire & desilire. Agefilaus in Gymnasio exercuit milites, levibusq; præliis experiundo ad obſistendum, circumeundum, discurrendum, mutandam pugnam, adſuefecit. *Al. ab Alex. gen. d. p. 31.* Hodierna v. præſidia, quoniam non exercentur milites, non tyrocinia militum sunt, sed corruptelæ. *Conz. l. 10, c. 29.*

XVI.  
Legendi nō  
emendi mi-  
lites.

*Jam Theſſali equites &c; ad conducendum militem mitte*] Memoratur de Turcis, quod exercitijs militaribus haud parum incumbant, ac militem colligant non ex culinis vel popinis, ut aliæ nationes. Et certè delectus militum magnâ cura habendus *Conz. 10, 20.* præcipuè si copia hominum tempusq; patiatur. Ex improvizo n. facienda non nunquam militum electio est; *Schôn. p. 585.* Alias v. cum non quantitas, sed quantum spectanda sit in milite, prudenter milites sunt conscribendi; habitâ ratione ætatis, corporis, animi, morumq;ve; aliquando gentis ac patriæ, quomodo Macedones hoc loco Persis, septentrionalesq;ve aliàs orientalibus anteponuntur *Dn. D. Wendeler. phil. pr. 445.* Nostro tempore quæ militaris dilectus forma? Emitur, non legitur miles. Pecuniola proponitur, tympanum strepit: Et ecce coeunt aliquot ignoti inter se ignorantesq; , quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est. Atque ut uno verbo absolvam, quorum lingua vana, manus rapacissimæ, gula immentia, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt, inhonestissima. *Lips. 5, 8, 11.* Prudenter itaque Charidemus monet, ut purgamenta urbium suarum Darius remittat, auxiliaq;ve querat non ibi, ubi pro viris foeminae sint; sed ubi vera virorum robora habeantur. Quæ nostro tempore fiant, sunt manifesta.

Eras



Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumq[ue] fortuna corrumpere. ] Irasci facile Principes, testatur experientia; & ratio est, quod se superiores cognoscant esse, ac possint alios expellere. *Canonb. in Tac. p. 168.* Imò verò fortunâ regni, quod ait Curtius, corrumpuntur, ac regni licentiâ mutantur. In alto n. positum non alta sapere, difficile est *Bernb. Ep. 42.* Da mihi circumspectissimum Regem; tot tamen inter obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est. *Curt. 8, 4, 24.* Ideoq[ue] hoc vitium fortunatis commune omnibus est, ut longè facilius ferant adversam, quàm secundam fortunam. Quippe quæ cum splendet nimium, rationem rectam excæcat; ex quo fit, ut relaxetur affectibus frenum, atq[ue] ab aureâ mediocritate ad extrema aberrent. Semper bellô Alexander, quàm post victoriam clarior fuit *Curt. 8, 9, 1.* ut enim primùm instantibus curis laxabatur animus, militarium rerum quàm quietis otijq[ue] patientior; excepere eum voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt: superbia præsertim luxusq[ue] & ira. *6, 2.* Sed vide Princeps, non quid in te magnum habeas; sed quid sis, & quid proprium habeas? *Supra, non extra homines es. Lips. 2. 15.* Corona tibi sceptrumq[ue] DEI, non tuum est. Homini præfectus es; DEO, Tuo judici, subiectus. Cuncta mortalium incerta; quanto plus adeptus sis, tantò te magis in lubrico censeas. *Tac. ann. 1, 72.* An ignoras, magnas arbores diu crescere, unâ horâ extirpari? *Curt. 7, 8, 14.*

*Dominare tumidus, spiritus altos gere;*  
*Sequitur superbos ultor à tergo DEUS. Sen. Herc. fur. 6. 384.*

Itaq[ue] veritatis impatiens, hospitem ac supplicem, tunc maximè utilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium ] ô superbiam, ô stultitiam, ô injustitiam Darij! Corruptus fortunâ regniq[ue] mutantis licentiâ Rex solus sibi sapientissimus, & quicquid rerum gereret, justissimus ac prudentissimus videbatur sibi; meliora suaderi à subditò, & corrigi se à cliente posse, impatiens. Nam sua verba leges, nutumq[ue] jus, ac opinionem oraculum credebat esse: sed absq[ue] causâ. Et hic ferè Principum mos; nil minus pati, quàm vera, possunt: quippe, quæ vera, Reip. sunt utilia: ideoq[ue] privato Principis comodo, cui ex Machiavelli sententia salus omnium sit posthabenda, videntur contraria. Hinc veritatis impatientes Darij: hinc liberioribus responsis offenduntur facile Tiberij: *Tac. ann. 1, 12.* hinc aspera Vitellijs, quæ utilia, *id. hist. 3, 56.* ut adeò suadere Principi, quæ oporteat

XVII.  
 Cur facile  
 Principes  
 crescantur.

XVIII.  
 Facilius est  
 adversam,  
 quàm se-  
 cundam  
 ferre fortunam.

XIX.  
 Contra super-  
 biam  
 Principi re-  
 medium?

XX.  
 Cur Principi  
 veritas  
 insana est



276

XXI.  
Consilia  
Principi ne  
cessaria.

teat, multi laboris sit: *ib. 1, 15.* præcipuè cum bona consilia præmijs malaq; sup-  
plicijs afficiunt; *Lips. l. c. 3, 8.* interdumq; duntaxat in speciem libertatis con-  
silia postulant; quomodo Xerxes, Græciæ indicturus bellum; adhibitis Asiæ  
Principibus; ne videret, agebat, meò tantummodò usus consilio, vos contra-  
xi: ceterum *mementote, parendum magis vobis esse, quàm scadendum Val.*  
*Max. 9, 5.* Sed ô Darij, ô Tiberij, ô Vitellij, ô Xerxes, quàm miserivos Im-  
peratores! Equidem cujus aures clausæ sunt veritati, ut verum audire non  
possit, ejus salus desperanda est, *Cic. Sapiens ægrotus*, qui medicinam admit-  
tit; felix Rex, qui consilium audit. *Besold. p. 203* Quàm benè *M. Antonius* æ-  
quius est, dicebat, ut ego tot taliumq; amicorum consilium seqvar, quàm tot  
talesq; amici meâ unius volutatē. Et Charidemi quidē consiliū quod spreve-  
rit, nonnè gravissimas pœnas Darius dedit? nonne tandē turpiter *penitere, ac*  
*fateri* necesse habuit, *vera Charidemum dixisse?* Fœdum inceptu, fœdum  
hoc exitu, Principes, vitate!

XXII.  
Charidemi  
immode-  
stia.

*Ille ne tum quidē libertatis oblitus, habeo, &c: quibus imperatum, ju-*  
*gulant*] Charidemum nunc affectus sui vexant ac rapiunt, ut majestatis regi-  
æqve superbiæ, nec non subjectionis ac modestiæ oblitus imprecetur, invehā-  
tur, ac maxima vitia regi suo importunissimè exprobrat. Adeò animus haud  
facile providet verum, ubi affectus rapiunt. *Sallust. Cat. c. 51.* Fortiter quidem  
ac liberè nec obnoxie dicendæ sunt sententiæ: *Lips. 3, 5.* etiam constanter, ut  
nihili faciat consiliarius favorem; *Hipp. à Coll. p. 189.* Iratum verò Principem  
irritare magis ac magis quæ audacia, quæ stultitia? Rectè *Canonher.* Principi  
irato danda non est occasio nocendi, sed potius adimenda. *in Tac. p. 169.* Qua-  
propter etiam cholericus naturâ inhabilis atqve ineptus esse ad consilia di-  
citur *Kicht. ax. Oec. 179. Besold. l. c. p. 102.* Charidemum quancquam tantam non  
promeruerit pœnâ, fortunæ tamē ipse suæ faber est. Spreti consilii pœnas quas  
dixit futuras, perpeffus deinceps Darius fuit adeò, ut humanorum casuum  
exemplum vocetur à *Livio. l. 9, c. 17.* Sic fieri solet & spreto consilio bonò quic-  
quid quis suscipit, eventus infelices, sæpè funestos sortitur *Jac. à Brück. l. c.*  
*n. 57.* Nulli principes periére, nisi qui prudentum consilia neglexere. *Ad*

XXIII.  
Spreti con-  
sily pœna.

*Cozz. 7, 13.*

XXIV.  
Dedecere  
Principem  
penitenti-  
am.

*Sera deinde penitentia subiit Regem*] Sic serò Phryges sapiunt. Sed v. digni-  
tatis tantæ personâ non decent *pathetica* verba *imperialia: penitet, piget,*  
*pudet &c* quippe quæ imprudentiam notât, quæ autoritatem minuunt. Even-  
tus n. stultorum magister. *Cic. Itaqve quod pudet, hoc pigeat, juxta Symb. Fl. A-*  
*nic. Justin.*

*Ac vera dixisse confessus*) Premitur veritas, at non opprimitur. Tan-  
dem innocentie defensio inclusa respirat. *Cic. pro Cluent.* Nam *ἐξελέγχων*  
*μό. & ἀδύναν ἐλήτυμον χερί. Pind. Olymp. 1.*

*Eum sepeliri iussit*) in innocentie testimonium: cum apud Persas a-  
liàs punitorum corpora insepulta abjici solita fuerint. *Fresimb. in h. l.* De  
ceterò defunctorum corpora apud Persas non quidem cremaban-  
tur, sed humo condebantur. *Brisß.*

l. c. p. 281.  
TANTUM.  
SOLI DEO GLORIA.

☉ (\*\*\*) ☉

D 107



ULB Halle  
004 772 881

3





254.

ferè fortis vir  
 modò, locò ac  
 133. At v. solum  
 tum suorum ma  
 non invenit, q  
 quæ si titubare  
 ac spiritus ren  
 heroëm in aci  
 nero hominu  
 ne bella confi  
 & Imperatori  
 dere prosperè  
 Deo pendeat  
 in ancipiti Ma  
 rebus non de  
 renter, & ab e  
 cutere formid  
 Sic quoqve D  
 meat nihil ;  
*ωεγ της vixns*  
 verissimum Si  
 fiducia est, for  
 capti velle ver  
 qvemadmodu  
 stari Darius po  
 gaudium trax

III. *Purpurat*  
 Officialibus  
 & Consilia  
 ris non sē  
 per creden  
 dum.

Satrapis, ac Pra  
 p. 222. Quod ve  
 vulgi; idqve ex  
 4. 1. 17. hoc limi  
 consilio nimit  
 bus, agentibus  
 vel, ut Horat. a  
 quam enim pr  
 bellicas, confi

atione, h.e. cō  
 Eth. l. 3. c. 7. p.  
 vixns b. l. mili  
 s encomium  
 culum subit.  
 eponit cristas  
 108. qvalem  
 um neque nu  
 conflictatio  
 I, arte bellicā  
 s bella succe  
 victoriaqve ā  
 3, 4, 24. p. 492.  
 nis confidere  
 enerari reve  
 14 n. 1. Is n. in  
 Curt. 4, 13, 12.  
 ne tamen ti  
*νικειον* canat  
 rritari; juxta  
 prudentium  
 ursi nondūm  
 bus possit, sed  
 l. 99. Iplus te  
 tempestivum

e Purpuratis,  
 p. 113. Arrian.  
 udens, non  
 Stratonis, ib.  
 rum fidei aut  
 us, audienti  
 m mortuum:  
 sat. 7. Quan  
 es, maximè a.  
 bell. c. 4. n. 2.  
 omnia-

